Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

spiritu nascimur. verbo et sacramento. Adest spiritus ut nascamur. spiritus invisibiliter adest unde nasceris. Sequitur enim et dicit. Non mireris quia dixi tibi. oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi vult spirat. et vocem eius audis. et nescis unde veniat. et quo vadat. Nemo videt spiritum. et quomodo audimus vocem spiritus. Sonat psalmus. vox est spiritus. sonat euangelium vox est spiritus. sonat sermo divinus. vox est spiritus. Vocem eius audis. et nescis unde veniat et quo vadat. Sed si nascaris et tu de spiritu hoc eris. ut ille qui non est natus adhuc de spiritu. nesciat de te unde venias et quo eas. Hoc enim ait secutus. Sic est omnis qui natus est ex spiritu. Et omnis qui natus est de spiritu spiritus est. Respondit nichodemus et dixit ei. Quomodo possunt haec fieri. Et revera carnaliter intelligebat. In illo fiebat quod dixerat dominus. vocem spiritus audiebat. et nesciebat unde veniret et quo iret. Respondit ihesus et dixit. Tu es magister israhel et haec ignoras. O fratres quid putamus dominum huic magistro iudeorum quasi insultare voluisse. Noverat dominus quod agebat. Volebat illum nasci ex spiritu. Nemo ex spiritu nascitur nisi humilis fuerit. quia ipsa humilitas facit nos nasci de spiritu. quia prope est dominus obtritis corde. Ille magisterio inflatus erat. et alicuius momenti sibi esse videbatur. quia doctor erat iudeorum. Deponit ei superbiam. ut possit nasci de spiritu. Insultat tamquam indocto. non quia superior vult videri dominus. Quid magnum deus ad hominem. veritas ad mendacium. Maior est christus quam nichodemus. dici debet. dici potest. Cogitandum est. si diceretur maior est christus quam angeli. ridendum erat. Incomparabiliter enim maior creator omnis creature. Sed exagitat superbiam hominis. Tu es magister israhel. et haec ignoras. tamquam diceret. Ecce nil nosti princeps superbe. nascere ex spiritu. Si enim nasceris ex spiritu. vias dei tenebis. ut humilitatem christi sequaris. Sic enim altus est super omnes angelos. qui cum in forma dei esset. non rapinam arbitratus est esse equalis deo. sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens. in similitudine hominum factus. et habitu inventus ut homo. humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem. Et ne mortis genus aliquod tibi placeat. mortem autem crucis. Pendebat et insultabatur ei. De cruce descendere poterat. sed differebat ut de sepulchro resurgeret. Pertulit superbos dominus. medicus egrotos. Si hoc ille. quid illi quos oportet nasci ex spiritu. si hoc ille verus magister non hominum tantum sed angelorum. Si enim docti sunt angeli. verbo dei docti sunt. Si verbo dei docti sunt. querite unde docti sunt. et invenietis. In principio erat verbum. et verbum erat apud deum. et deus erat verbum. Tollit homini cervicem. sed asperam et duram. ut sit lenis cervix ad portandum iugum christi. de quo dictum est. Iugum meum leve est. et sarcina mea levis est. Et sequitur. Si terrena dixi vobis et non creditis. quomodo si dixero vobis celestia credetis. Que terrena dixit fratres. Nisi quis natus fuerit denuo. terrenum est. Spiritus ubi vult spirat. et vocem eius audis. et nescis unde veniat